

Level I

Ubi nympha Echo Narcissum in silva vidit, statim iuvenem amavit. Echo adhuc et corpus et vocem habebat, sed vox erat nova. Quod Echo Iunoni, reginae deorum, dolo nocuerat, Iuno dixit, "Non sine poena mihi nocueris." Echo vocem habet sed solum respondere potest. Verba sola aliorum reportare potest.

Olim Narcissus cum ceteris iuvenibus animalia fera in silvis et montibus petit.

Echo iuvenem secreto petit. Nox appropinquat.

"Quis adest?" rogat Narcissus. "Quis adest?"

"Adest," respondet Echo.

"Veni," clamat Narcissus magna voce. "Veni!"

"Veni," respondet Echo, et nympha misera iuvenem superbum brachiis suis tenere temptat.

Level II

Phaëthon superbus de patre claro Phoebos magnopere dicere solebat; olim amicus autem ait, "Stultus es, si credis omnia quae mater tibi narrat." Phaëthon iram vix retinuit et ad Clymenen matrem it. "Mater, si vera caelesti patre creatus sum, da mihi signum tanti parentis."

Clymene, mota precibus Phaëthontis iraque sua, ad caelum brachia tendit et dicit,

"Tibi iuro, puer, Solem quem spectas, qui orbem temperat, esse patrem tibi. Si vera verba non dico, numquam iterum lucem solis oculis meis videam. Sed non longe

laboratis, si regiam patris quaerere desiderabis. Si animus est tibi, i et roga, tu ipse, de parente patrem Solem."

Phaëthon talibus verbis matris maxime gaudet; deinde terras suas transivit et regno patris appropinquavit.

Advanced Prose

Tarquinium moribundum cum qui circa erant excepissent, illos fugientes lictores comprehendunt. Clamor inde concursusque populi, mirantium quid rei esset. Tanaquil inter tumultum claudi regiam iubet, arbitros eiecit. ... Servio propere accito cum paene exsanguem virum ostendisset, dextram tenens orat ne inultam mortem soceri, ne socrum inimicis ludibrio esse sinat. "Tuum est," inquit, "Servi, si vir es, regnum, non eorum qui alienis manibus pessimum facinus fecere. Erige te deosque duces sequere qui clarum hoc fore caput divino quondam circumfuso igni portenderunt. Nunc te illa caelestis excitet flamma; nunc expergiscere vere. Et nos peregrini regnavimus; qui sis, non unde natus sis reputa. Si tua re subita consilia torpent, at tu mea consilia sequere."

NJCL 2008
DRAMATIC INTERPRETATION
Advanced Poetry – Girls

"... di morientis Elissae,
accipite haec, meritumque malis advertite numen,
et nostras audite preces. Si tangere portus
infandum caput ac terris adnare necesse est,
et sic fata Iovis poscunt, hic terminus haeret,
at bello audacis populi vexatus et armis,
finibus extorris, complexuavulsus Iuli,
auxilium impleret, videatque indigna suorum
funera, nec, cum se sub leges pacis iniquae
tradiderit, regno aut optata luce fruatur,
sed cadat ante diem mediaque inhumatus harena.
Haec precor, hanc vocem extremam cum sanguine fundo.
Tum vos, o Tyrii, stirpem et genus omne futurum
exercete odiis, cinerique haec mittite nostro
munera. Nullus amor populis nec foedera sunt;
exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor,
qui face Dardanios ferroque sequare colonos,
nunc olim, quocumque dabunt se tempore vires;
litora litoribus contraria, fluctibus undas
imprecor, arma armis; pugnent ipsique nepotesque."

